



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCXIV. Der Bischof Ludwig trennt die Kirche zu Schmerzke mit dem Filial Rietz von der Pfarrkirche der Neustadt Brandenburg, am 26. Jan. 1335.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

burgensis, quas ratione visitationis nomine procurationis in festo circumcissionis domini se guardiano fratrum minorum in Magdeburgensis nec non magistro Thid. de Hedewischen in conventu dicti guardiani se soluturos indubitanter una cum ceteris prepositis dicte dioceces fuerunt stipulati, unde ipsos quitos dimittimus, quod ad manus nostras dictam stipulationem dicti visitatores nostri receperunt, presentium nostrorum testimonio literarum, quibus nostrum secretum est appensum. Datum Magdeburg, XV kalendas Februarii anno domini M. CCC. XXXV°.

Nach dem Originale.

**CCXIV.** Der Bischof Ludwig trennt die Kirche zu Schmerzke mit dem Filial Riez von der Pfarrkirche der Neustadt Brandenburg, am 26. Jan. 1335.

Ludowicus, dei gratia Brandenburgenses ecclesie episcopus, omnibus presentes literas auditoris salutem in domino cum notitia subscriptorum. Licet ecclesia ville Smertzik cum filiali ecclesia Rediz unicum et per se omnino distinctum beneficium fuerit ab antiquo, sed tamen in sinistram opinionem noviter devenit per hec, quod bone memorie Kerstianus, olim plebanus ecclesie nove civitatis Brandenburg, ipsam cum sua ecclesia aliquibus, non tamen omnibus annis sui plebanatus simul tenuit, quamvis, quo titulo illud fecerit, ignoretur. Quia tamen nunc plenius instructi, quod eo tempore, quo dicte ecclesie simul tenebantur, non solum in spiritualibus verum etiam in temporalibus utpote in agrorum ad eandem ecclesiam Smertzik pertinentium desertione ac ipsius edificiorum deperditione negligentie multe sint commisse, quas in futurum committi, si simul remanerent, verisimiliter formidamus, ideo ad instantiam honorabilis viri, domini Thiderici prepositi et capituli ecclesie nostre, patronorum utriusque ecclesiarum, tam Smertzik quam nove civitatis Brandenburg, consentiente provido viro, domino Gevehardo de Stêcho, plebano ecclesie dicte nove civitatis Brandenburg, eas ab invicem auctoritate ordinaria in dei nomine separamus, decernentes eas cunctis futuris temporibus debere teneri pro duobus distinctis beneficiis et a se hinc inde penitus separatis. Actum et datum Spandow sub nostro sigillo anno domini M. CCC. XXXV. \*) in crastino conversionis beati Pauli apostoli.

Nach der Copie im Ältern Copialbuche.

**CCXV.** Der Bischof Ludwig gestattet dem Propste einen Prediger in Schmerzke zu bestellen, am 26. Jan. 1335.

Ludowicus, dei gratia etc., honorabili viro, domino Thiderico, ejusdem ecclesie preposito, benevolam in omnibus voluntatem. Ut Hinricum presbiterum, olim tenentem in Smerzke de cura animarum ejusdem ecclesie, vacantis per separationem nostram ab ecclesia nove civitatis Brandenburg, investire possitis, quod etiam vobis competere dicitis virtute privilegiorum vestrorum, vobis ad presens duximus permittendum. Datum Spandow, anno domini M. CCC. XXXV. in crastino b. Pauli apostoli conversionis.

Nach der Copie im Ältern Copialbuche.

\*) Das Copialbuch hat XXV., dies Jahr ist aber offenbar falsch; es muß XXXV. heißen. S. die folg. Urkunde.